

judicium instituitur de difficillima alioquin controversia, actitata quondam in Borussia inter TILLEM. HESHVSIVM & JOHANNEM WIGANDVM, Episcopos, quorum ille *Majestatem carni Christi etiam in abstracto, h. e. per se consideratae, communicatam*, asseruit, hic vero negavit ideo, quoniam sic *duplicaretur abstractio*, & per vocabulum carnis cum Scriptura abstraheretur primum mente ab altera natura, cui est & manet unita, & poneretur humana natura in hypostasim Filii Dei assumata, adeoque fieret abstractum personae, deinceps & rursus abstraheretur etiam a λόγῳ hypostasi, & poneretur mente natura humana plane extra consortium personalis unionis, de qua sic considerata *nulla ratione praedicari* posse Majestatem, WIGANDVS bene & erudite monuit. Qui etiam sic intelligendus est, quando *nonnisi in concreto* praedicationes fieri, admisit, non enim prorsus abstracta adhiberi negavit, vel prohibuit, sed saltem *abstractum naturae* removit; Et abstracta quidem personae vel eo ipso non repudiavit, quo concreta naturae admisit, quae cum abstractis personae coincidunt, quod hic ad rei dilucidationem in transitu notamus.

§. VIII. Facile jam apparet, quid reponendum sit ad quaestionem Allocutoris: *Quid ergo opus est, de natura in abstracto longam & otiosam litem neçtere? Sufficit nobis, Christum, Deum & Hominem, omniscium, omnipotentem, omnipraesentem & adorandum esse, quod nemo est Protestantium, qui diffiteatur.* Nobis vero hic positus cothurnus nequaquam sufficit, sed credimus, omnino opus esse de ipsa quoque natura & abstracto, accurate sentire, prout majores fecerunt, ut atrum ab albo recte discriminetur. Nam etiamsi in hoc mysterio & docere & disputare sine adhibito vocabulo abstracti & concreti possimus, quod exemplo suo docuit JACOBVS ANDREAE in *Colloquio cum Beza Mompelgardensi*, ubi aliquandiu sepositis his vocabulis eandem controversiam cum ipso tractavit, p. 188. sqq. cum tamen scriptura vocabulis abstractiuis in hac materia utatur, *Li-*
bræ